



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

21 Monitoriales litterae, pro quibus concedi poßint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

& servatis servandis ad executionem realem, vel personalem, prout juris fuerit, procedi possit, ex supra allegatis: quia aliàs omnis causa, per hanc viam posset deferri ad forum ecclesiasticum, ut post Io. Andr. in c. novit. de jud. animadvertit. Bart. in const. ad reprimendum, in vers. denunciationem, nu. 9. & Neviz. Sylvest. nupt. in ver. monitoria, lib. 3, num. 51.

21 Concedi tamen autem possunt litteræ monitoriales pro deperditis, seu subtractis bonis, & juribus occultis tantum, non autem pro vulgaribus: quia contra personam certam, quæ rem deperditam invenit, aut aliàs jura detinet, in foro judiciali via ordinaria est procedendum, ut per Neviz. eadem Syl. nupt. in ver. monitoria, lib. 3, num. 48. Nec concedi possunt monitoriæ super capitibus criminosis, aut infamatoris, ut per eundem Neviz. ibi num. 50. & ita servat curia Romana, quicquid contrarium asserant aliqui, quinimò apponitur clausula, quod si ex pro palationibus aliquid probari contingeret favore fisci, quod pro palationes nullam fidem faciant, & Pius V. in ordinatione super modo expediendi litteras in forma: significavit, ordinavit, ut concedantur ad eorum dumtaxat instantiam, quorum civiliter interest, ut in litteris Romæ in Cancellaria Apostolica die 27. Junij 1570. publicatis de quibus in Bull. Rom. cap. 183.

22 Quæritur, tamen an pro palationum vigore possit quis nominatim excommunicari; Et si pro palantibus repetitis in forma judiciali plenè probetur, aliquem rem pro qua monitoriales fuerunt concessæ, detinere, videtur in contumaciam non resipiscens, ut exeat de peccato, & quæ indebitè retinet, restituat, quod possit no-

minatim excommunicari, ex traditis per eundem Neviz. in eodem ver. monitoria, numer. 61. Sed hodie ex dispositione sacri concilii Tridentini non debet quis nominatim excommunicari, nisi prævia diligentia de exequendo realiter, vel personaliter, servata forma ejusdem concilii, eodem cap. 3. §. in causis verò.

Quæ procedunt in causis ad forum ecclesiasticum tantum pertinentibus, ut ibidem in causis civilibus ad forum ecclesiasticum, &c. Ideò in causis spectantibus ad forum seculare, non potest quisquam vigore litterarum monitorialium nominatim excommunicari, sed pars actrix iudicem secularem cum pro palationibus adire debet, qui prout juris fuerit, ad executionem realem, vel personalem, procedat, & non illis ommissis, procedere ad excommunicationis sententiam, cujus nulla major pœna reperitur in spiritualibus, ut per Abb. in cap. cum dilectus, numer. 6. de his, quæ vi. met. ve. casu. cum alijs supra, in princ. allegatis: Ad excommunicationem enim non nisi in subsidium procedi potest, ut in eodem cap. 3. §. quod si executio, sess. 25.

23 Impeditur tamen etiam cursus dictarum monitorialium pluribus modis.

Primo, quando quis comparet coram Episcopo, vel ejus Vicario, allegans se partem formalem: tunc enim contra partem comparentem procedi non debet: quia si actor habet personam certam, via ordinaria procedere tenetur, & cessat remedium extraordinarium censurarum ex supra allegatis. Ratio enim est, quia actor non debet sumere informationes de domo rei, l. qui accusare, C. de eden, & gloss. in cap. G. perpetuus, in verb. instrumentorum, ver. sed si instru-